

Die Urkunden Karls des Großen, 138

Karolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum. Cum nos in
dei nomine Carisiaco villa palatio nostro ad universorum causas audiendas et recto iudicio
terminandas resideremus ibique veniens advocatus sancti Dyonisii vel Fulradi abbatis
nomine Ado nobis suggerebat dicens, eo quod inter Ripheronem comitem vel suos
escapinios in pago Tellauo in mallo publico qui vocatur Turcarias advenisset et homines
aliquos his nominibus: Goduinum et germanum suum Flodoinum et germanam eorum
Damascianam, sed et Andgarium et Ercammarum et Jonatham, interpellasset repetens ab
eis et dicens, eo quod rem sancti Dyonisii in ipso pago Tellauo in loco qui dicitur
Sonarciaga villa super fluvium Itta, quem sanctus Dyonisius per suum brachium
conquisivit, post se retinebant in sua potestate malo ordine. Sed ipsi Flodoinus et Goduinus
et eorum germana Damascia, sed et Andgarius et Ercammarus et Jonathas in presenti
aderant et cum interrogaretur ab eis, utrum quid de hac causa contra hominem nomine
Adonem, advocatum sancti Dyonisii, dicere vellent, numquam potuerunt tradere vel
deducere rationem, per quam ipsam rem sancti Dyonisii Sonarciagam villam habere
potuissent, sed ipsi per suos wadios ibidem in presenti prefatum Adonem, advocatum sancti
Dyonisii, investiverunt et fidem exinde, sicut lex continuit, ibidem fecerunt. Proinde
oportunum fuit ipsi Adoni, advocato sancti Dyonisii, ut talem noticiam bonorum hominum
manu firmatam vel ipsius comitis nomine Ripherii seu qui ibidem fuerunt sedentes
prendere et accipere deberet; quod ita et fecit, ut ad longum tempus ipsam rem
Sonarciagam villam contra iam dictos homines ad partem sancti Dyonisii habeat
evendicatam et elidigatam. Unde et advocatus sancti Dyonisii vel Fulradi abbatis, videlicet
Ado, suam noticiam, quam se proposuit habere, ante nos legibus optulit vel adpresentavit
ad relegendum. Selecta ipsa noticia interrogatum fuit ab ipso Riphero comite, si hec causa
vel ipsa noticia vera et verax erat aut non; sed ipse Ripherus comes nobis taliter suum
prebuit testimonium, quod hec causa vel ipsa noticia vera et verax esset. Proinde nos taliter
una cum fidelibus nostris id est Richardo comite, Gunthardo comite, Theutbaldo comite,
Griphone, Geroldo, Nortboldo, Winegiso, Walberto, Gisloldo, Aroino, Theutboldo,
Constabili et Waraldo comite palatii nostri vel reliquis quam pluribus visi fuimus iudicasse,
ut dum ipse Ripherus comes taliter nobis suum prebuit testimonium, quod hec causa vel
ipsa noticia verax esset, propterea iubemus, ut, quia hanc causam sic actam vel perpetratam
esse cognovimus, suprascriptus advocatus sancti Dyonisii contra sepe dictos homines
inspecta sua noticia iam dictam villam Sonarciagam ad partem sancti Dyonisii omni
tempore habeat evendicatam atque elidigatam et sit inter ipsos in postmodum ex hac re
omni tempore sopita et definita atque inconvulsa causatio.

Ego Witherius notarius advicem Chrotardi recognovi. Data mense decembri die XVI anno
XIIII regni nostri; in dei nomine feliciter.